

tio creetur, altare cancellis concluditur, à corpore Ecclesiæ longè semouetur, tanquam aliud sanctum Sanctorum. In eundem finem omnia circum altare nitent, auro & serico fulgent tapetes, Christus ipse affixus cruci in pariete depictus, candelabra etiam duo hinc & inde mensæ imposita cum candelis non priùs accendendis, quàm oculi plebis scotomate superstitionis offundantur. Lumine enim erepto, nempe Euangelij lampade, æquum est aliud in locum substitui à Nouatoribus nostris.

Quanto verò errore Satan fascinauerit animos circa situm mensæ, hinc liquet, quòd si quis Altaricolarum conspiciat mensam communioni dicatam locatam longè à pariete ad quem altaria affixa erant sub Papatu, nequidem eam salutatione dignetur: at eadem mensa, si proximè parietem tangat, & instar altaris collocetur, & splendide amiciatur, illico coram ea venerabundus procumbat: indicio non obscuro mensam coli, non tam ratione vel mensæ, vel Eucharistiæ super ea celebratæ, quàm quia in loco augustiori sita est: tanta est hominum in Religionis negotio vel vecordia vel affecta-